

DE POSTLIMINIO ET DE REDEMPTIS AB HOSTIBUS.

8.51.1

Impp. Severus et Antoninus AA. Ovinio.

Ex duobus captivis Sarmatia nata patris originem ita secuta videtur, si ambo parentes in civitatem nostram redissent. Quamquam enim iure proprio postliminium habere non possit quae capta non est, tamen parentum restitutio reddet patri filiam.

1 ¶ Qui cum ab hostibus interemptus sit, matris dumtaxat condicionem, quae secum filiam duxit, videtur necessario secuta, nam fictio legis Corneliae, quae legitimos. apud hostes defuncto constituit heredes, ad eam quae illic suscepta est non pertinet, cum eo tempore quo captus est diem suum pater obisse existimetur.

PP. sine die et consule.

8.51.2

Imp. Gordianus A. Publiciano.

Ab hostibus redempti, quoad exsolvatur pretium, in causam pignoris constituti quam in servilem condicionem videntur esse detrusi: et ideo si nummi eo nomine expensi donatio intercedat, pristinae condicioni eos reddi manifestum est.

1 ¶ Proinde si ab hostibus redemptam post dissolutum veluti naturalis pignoris vinculum in matrimonio habere coepisti, nihil est, quod de statu eius seu liberorum communium debeas pertimescere.

PP. II id. Iun. Gordiano A. II et Pompeiano consss.

[a. 241]

8.51.3

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Varo.

Cum cognatos tuos nondum postliminio regressos adfirmes, sed adhuc in rebus esse humanis, et bona eorum fraudibus diversae partis dissipari, interpellatus rector provinciae providebit eum sub observatione constituere, qui stipulante servo publico satis idonee dederit.

PP. V k. Sept. Diocletiano III et Maximiano consss.

[a. 287]